



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Patriarchae Aqvilegensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

rátorem electo, quem nos in Regem recepimus, & regalem ei præcipimus honorificentiam exhiberi, communia sint futura. Cùm igitur negotium ejus propriè proprium debeas reputare, nobilitatem tuam monemus & exhortamur in Domino & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus ad honorem & exaltationem ejus, immo tuam in eo, viriliter & potenter intendas & ita promotionem ejus studeas procurare quòd idem Rex expertus in te fraternæ devotionis affectum, fratrem se tibi debeat in omnibus in quibus cum eo Dominus misericordiam fecit exhibere. Sanè cùm hæctenus, dum adhuc negotij ejus esset finis incertus, viriliter pro eo steteris & cum eo, tanto de cetero ei fortius assistere ac favere teneris quanto de incremento ejus certior es effectus. Sic igitur nos in eo & ipsum in nobis studeas devotè ac efficaciter honorare sicut à nobis & ipso in tuis desideras desiderabilibus exaudiri. Datum.

Patriarchæ Aquilegensis.

Epist. 42.

Ratum gerimus & acceptum quod, sicut dilectus filius noster Gregorius tituli sancti Vitalis Presbyter Cardinalis nobis exposuit, super facto imperij noluit hæctenus in partem alteram declinare, sed super eo disposuisti potius acquiescere consiliis nostris & monitis obedire, quod & tu prius nobis per tuas litteras intimaras. Super quo fraternitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus & prosequimur actionibus gratiarum, cùm id certum nobis sit tuæ devotionis indicium & sinceritatis evidens argumentum. Sanè cùm Ecclesiæ Romanæ dispendium &c.

Duci Zaringiæ.

Epist. 43.

Memimus nos olim tuæ nobilitatis litteras recepisse, quibus nos monebas humiliter & efficaciter inducebas ne nobili viro Philippo Duci Sueviæ super facto imperij præstaremus assensum, cùm genus ipsius tam Ecclesiam quam Principes multipliciter fuerit persecutum. Nos autem ex iis intelleximus mentem tuam, videlicet quòd etsi ei favere forsitan, tum propter ejus potentiam, tum propter vicinitatem & alias circumstantias, videris, ipsi tamen animo non favebas. Cùm ergo nos, quia duobus ad imperium obtinendum favere non possumus, nec est tam personæ in imperio quam imperio in persona providendum, quia etiam ad hoc dignior reputatur qui magis idoneus reperitur, præsertim hoc tempore, obtinendum penitus propter impedimenta potentia quæ per litteras generales exprimimus reprobamus, sicut in per tuas nos litteras monuisti, sic nobilitatem tuam rogamus, monemus, & exhortamur, & per apostolica scripta mandamus quatenus non obstante juramento, si quod eidem Duci ratione regni forsitan præstitisti, cùm nos illud, eo reprobato, decreverimus non servandum, de cetero carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo & à nobis opportuno tempore dante Domino coronando fideliter & constanter adhareas, & partem ejus viriliter & potenter stu-

deas confovere; ita quòd devotionem tuam possimus in Domino commendare, & ad honorem & profectum tuum & tuorum apud ipsum intendere meritò debeamus. Sanè si aliter, quod non credimus, ageres, videreris scripsisse nobis aliud quàm sentires, & sic illudere voluisse; propter quod contemptum nostrum non possemus sub dissimulatione transire. Datum.

Duci Boemiæ.

Epist. 44.

Et si commendabilis in eo videaris quòd ad honoris & dignitatis tuæ profectum & augmentum intendis, reprehensibilis tamen apparet ex eo quod ab eo imponi tibi petisti regium diadema qui nondum legitime dignitatem regiam est adeptus. Qualiter enim posset nobilis vir Philippus Dux Sueviæ conferre alij quod nondum ipse accepit, cùm non colligantur de spinis uvæ nec de tribulis ficus, nec sit facile fugere mel de petra vel oleum de saxo durissimo, tua nobilitas satis intelligit per se ipsam. Licet autem quia duobus &c. in eundem modum ut in precedenti usque reprobemus, volentes tamen honori tuo sollicitudine paterna consulere, nobilitatem tuam monemus & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta mandamus ut carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo & à nobis opportuno tempore dante Domino coronando fideliter & constanter adhareas, & ab ipso imponi tibi postules regium diadema. Cùm autem apostolica sedes post fundamentum illud de quo inquit Apostolus, fundamentum positum est præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus, fundamentum totius Christianitatis existat, juxta illud evangelij, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, nos, qui, licet insufficientibus meritis, ad ejus sumus regimen evocati, procurabimus ex collata nobis plenitudine potestatis ut quod factum fuit etiam posterorum tuorum temporibus obtineat firmitatem; eundemque Regem per venerabilem fratrem nostrum Episcopum Prænestinum apostolicæ sedis Legatum, virum scientia præditum, conspicuum honestate, religione laudandum, quem inter ceteros fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, & dilectum filium magistrum Philippum Notarium nostrum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris acceptum, duximus commonendum ut se tibi facilem & benevolam studeat exhibere, quod ex quanta benignitate procedat, industria tuæ relinquimus discernendum. Datum ut supra.

Argentinensi Episcopo.

Epist. 45.

Erto jam pridem experimento didicimus quòd etsi nobili viro Philippo Duci Sueviæ quadam quasi necessitate coactus favere forsitan videaris, carissimo tamen in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo & à nobis opportuno tempore dante Domino coronando interius mente faves, utpote cui te adhæsisse ab initio & fidelitatis juramentum intelleximus præstitisse. Quia verò necessitate cessante cessare debet pariter quod urgebat, fraternitatem tuam per

XXX